



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 45. Cosmæ consilium de Senensibus suo imperio subjiciendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

mæ suppeditare poterat, præcipue cum Sæcul. XVI.
 nec ex Hispania, nec ex Neapolis Re- A.C. 1554.
 gno militum supplementa adducere va-
 leret: Omni igitur ope destitutus Cos-
 mas summum Pontificem sibi devinci-
 re tentabat, desponsata una ex Filiabus
 suis Fabiano Balduini Filio, ac Julii III.
 Nepoti, in quo post Joannis Baptistæ
 obitum Pontifex totam familiæ suæ
 spem collocaverat. Itaque per Bernar-
 dum Justum, qui Cosmæ ab epistolis e-
 rat, & Romam hanc in rem ablegatus
 fuerat, hæ nuptiæ contrahuntur, eodem-
 que tempore Cosmas Isabellam Filiam
 Paulo Jordano ex familia Ursinorum,
 qui ob veteres factiones Gallis semper
 erant addicti, despondit..

§. XLV.

*Cosmæ consilium de Senenensibus suo
 imperio subjiciendis.*

Cum ergo Cosmas Dux duos potentif- Thu. l. c.
 mos adversæ factionis Principes ita Ibid. comm.
 sibi conciliatos cerneret, seque poten- l. 26.
 tia valde auctum crederet, Marinianum
 Marchionem, qui in Cæsaris exercitu
 secundum imperii locum tenebat, ad
 se accersivit. Erat is Bellidux militari
 scientia oppido clarus, humili tamen
 loco natus, & alias Medicinus dictus,
 eo tamen nomine immutato sese Medi-
 cæum appellare audebat, atque ex illu-
 stri

Sæc. XVI. stri hac familia se descendere jactitabat,
A.C 1554. cumque armorum successu, ac proprio-
 ram meritorum suffragio sibi ingentem
 comparasset gloriam, hinc Florentiæ
 Dux ambitiosam hanc nominis sui usur-
 pationem indulgenter tolerabat, imo
 haud ægre ferebat, quod præclarus hic
 Bellidux semetipsum stimulare, ut Me-
 dicææ gentis, a qua nobilitatem emen-
 dicabat, gratiam aliquo insigni benefi-
 cio demereretur. Hac agendi ratione
 Dux, qui nulla unquam ætate in poli-
 tica Regiminis prudentia parem habe-
 bat, Senensem ditionem suæ potestati
 subicere moliebatur: cum autem prius
 illam Gallorum Regi, cujus imperio tum
 subdita erat, eripere necesse esset, ideo
 Bartholomæum Concinum, qui ei ab
 epistolis erat, hanc ob rem ad Cæsa-
 rem ablegabat, qui cum eo de Gallis
 ex Etruria pellendis ageret: nec hoc
 colloquium suo caruit successu; quippe
 Cæsarem inter, & Ducem foedus sanc-
 ciebatur, his circumscriptum conditio-
 nibus: I. Carolus V. Imperator, & Cos-
 mas Dux Senensem Rempublicam in
 Cæsaris potestatem redigere junctis vi-
 ribus adlaborabunt. II. Cosmas pecu-
 nias, milites, ac reliquos in hoc bellum
 sumptus suppeditabit. III. Hac expe-
 ditione prospere finita, Carolus hæc
 expensas pecunia numerata refarciet,
 vel

vel Cofinæ quasdam possessiones in Re-
 gno Neapolitano, vel in ditione Medio-
 lanenfi attribuet. IV. Quoadusque hæc
 pacta implebuntur, oppida, & Senensis
 Reipublicæ arces Cofmæ relinquuntur.
 Hæc conditiones, cum Cæsar ratas
 haberet, Cofmas quantocius rem summo
 silentio aggreditur, ac Marinianus Mar-
 chio captis pluribus urbibus circumvi-
 cinis Senensem urbem cingere cæpit.

§. XLVI.

*Gallorum res Senis per Petri Strozzi
 adventum desperatæ.*

Attamen non ita secreto Cofmæ con-
 silia agitabantur, quin Galliarum
 Rex per Ferrariensem Cardinalem ea
 de re certior fieret, quocirca Henricus
 haud ultra sibi procrastinandum ratas
 aperto Marte Ducem aggredi statuit,
 moxque Marchioni Mariniano Petrum
 Strozium inter ævi sui Belliduces lon-
 ge celeberrimum opposuit, eumque post
 Annebaldi obitum non ita pridem Fran-
 ciæ Marescallum nominavit, ut in ex-
 ercitus imperio Paulo Thermo succe-
 deret. Cum ergo Strozzius odio plus-
 quam vatiniانو Medicæos infectaretur,
 Cofmas haud temere suspicabatur, eum
 haud alio ex consilio fuisse selectum, nisi
 ut pristinae rursus innovarentur factio-
 nes, quæ jam olim sub obtentu, ut Flo-
 renti-

Sæc. XVI.
 A.C. 1554.